ANIMADVERSIONES QVAEDAM AD C. CORNELII TACITI GERMANIAM

PROLVSIO

PRAEMISSA

ORATIONI ADITIALI

RINTELII

A. D. XXIV. IVL. cIↃ IↃ cc XXXXVII.

HABENDAE

A

FRIDERICO GVIL. PESTELIO
I. V. L. ET PHILOSOPHIAE MORALIS PROFESSORE ORDINARIO.

TYPIS
IOH. GODOFR. ENAX, ACAD. TYPOGR.







raefamur his orationi sollemni, qua impositam a REGE AVGVSTO, PATRIAE PATRE OPTIMO, in hac Academia docendi prouinciam, rite et more maiorum adire animus est. Cuiusmodi inuitationibus cum selectum et diligentius excussum aliquod doctrinae caput praemitti soleat, cuius commentatione fructus aut voluptatis nonnihil ad eos rediturum speretur; quibus vel idoneis scriptionum iudicibus, vel discendi cupidis, illud qualiscunque ingenii specimen approbare cupiamus: venit in mentem mihi, publice per hanc aestatem C. TACITI *de moribus Germanorum* commentarium illustranti, ad vnum atque alterum illius locum differere. Est ex eorum, qui antiquarum rationum notitia imbuti sunt, iudicio et sensu genus quoddam liberalissimae voluptatis; indagare institutorum, quae etiamnum florent, origines, intelligere illum veluti genium maiorum, saepe adhuc in posteris conspicuum, agnoscere hic naturae, nondum illo artis peplo obuolutae, simplicitatem, diuinamque in eo mutationum quasi orbe prouidentiam venerari. In ipsa adeo imagine veteris Germaniae, *informis licet terris, asperae coelo, tristis cultu aspectuque*, quam *fere nemo vltro peteret, nisi cui patria esset*, est inquam in ea ipsa imagine aliquid, quod placet, vti cuius collatione demum prae-

ſentis aeui praeſtantia plenius aeſtimetur. Olim, fateor, quae eſt non in vniuerſo tantum litterarum genere, ſed ſingulis etiam earum partibus vis et poteſtas ſaeculi, (*a*) exigua erant patriae antiquitatis pretia, quod, nihil in ea ſplendidi, nihil magnifici, plurimum contra barbariei, nihil in vetuſtiſſimis Germanorum ſcriptoribus cultus et elegantiae extare putaretur, cuius contemplatione bene natus aliquis, et in ſpem luculentioris fortunae liberaliter educatus, porro rerum externarum, et praeſertim veteris Romae admirationi, atque legendis, qui ea poſteritati propagarunt, melioris notae auctoribus, adſuetus et innutritus vtcunque paſceretur. Verum recentiori aetate, quam ſalutaris is labor ſit, qui in illuſtrandas res patriae antiquas impendatur, quantum intercepto antiquitatis lumine in multis, vt hoc vtar, Iuris publici, ciuilis, criminalis, capitibus tenebrarum offendatur, viri docti, et qui vſum earum rerum habent, ſatis, opinor, aſſeruerunt. (*b*) Quae hic perſequi omnia, noſtrae breuitatis non eſt; in primis cum illi literarum generi ſatis commendationis vel amuleti praeſtent virorum primariorum, qui in eruendis proferendisque veteris aeui monumentis diligentiſſime verſantur, exempla et auctoritas. Certe materiam proluſionis popularem, et quae non vnius tantum diſciplinae ſacris addictos ad legendum inuitet, nos inueniſſe confidimus: ſi in amoeniſſimum antiquitatis patriae campum excurrentes, flores quosdam, diligentius conſiderandos ex eo TACITI libello ſumamus: quo veteris Germaniae ſitum, ritus, conditionem, accurate, vt peregrinus, et plerumque, modo recte intelligatur, (*c*) vere complexus eſt ſcriptor, illo ipſo *labore, ſtudio,* et

(*a*) Vide Excellentiſſimi GESNERI iucundiſſimam *de vi conſuetudinis ac Saeculi in ſtudiis literarum* diſſertationem *opuſcul. I,* 1.

(*b*) Dedita opera illud argumentum tractauit Cel. CRAMERVS in progr. *de coniungendo iuris et antiq. Germanicarum ſtudio.*

(*c*) Ideo, quod obiter monemus, *absque commentario* legendam eſſe Taciti Germaniam cenſuit Thomaſius. De *fide Taciti in rebus Germanorum*, praeter Gundlingianam diſputationem, in primis commendari meretur DITHMARI diſſertatio.

et *reuerentia posterum*, (*d*) illo summo, et quod merito privatae ac regnatricis prudentiae omnis promtuarium appelles, ingenio amabilis.

Locus, ad quem primum commentari operae pretium esse duximus, est,

CAP. VII.

Caeterum neque animaduertere, neque vincire, nec (ita legimus cum Gronouio ad h. l. *pro neque*) ***verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam, nec ducis iussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.***

I. Dispiciamus ante omnia, rectene ex his verbis eliciatur, in vniversum et belli et pacis tempore puniendi, ac facinorosos quosque supplicio afficiendi, potestatem, habuisse sacerdotes. Mihi, fateor, qui ea in sententia sunt, (*e*) falli, nec verba illa superioribus et proxime sequentibus conuenienter, interpretari videntur. Versatur in explicanda belli gerendi ratione auctor. Negat multum in exercitu posse ducum imperia. Ipsam adeo criminum animaduersionem non illis, sed sacerdotibus, permitti solere addit, eiusque instituti rationem subiicit, definite distincteque *ad bellum* restrictam. Igitur de iis *duntaxat* delictis, quae in expeditione admitterent milites, intelligendum esse, mihi quidem sit verisimile.

II. Neque est, vt vniuersitatem illius iurisdictionis in quocunque criminum genere ex alio loco auctoris cogas, quem laudat

(*d*) Sunt verba PLINII *ep. IX*, 14. Putabat hic, ad honorem et praestantiam suam pertinere, vt Tacito, si parem esse non liceret, certe proximus haberetur. *V. d. l. ep.* 23. Caeterum virorum doctorum de Tacito iudicia large exhibet Celeb. FVNCCIVS *in doctissima tractatione de imminente L. L. senectute IX*, 62. *seqq.*

(*e*) Inter interpretes huius loci DITHMARVM, qui reliquos fere industria superauit, indicasse suffecerit. Addamus verba B. TREVERI ad *Pufend. de O. H. et C. II*, 14, 8. *Carnificis*, ait,

HEINECCIVS, (*f*) quique sic habet: *silentium* (in conciliis) *per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur.* (*g*) Quae vt recte intelligantur, rem placet repetere paulo altius. In pace iura per *pagos vicosque centenis* ex *plebe* (sub qua *ingenuos*, seu qui nec *libertini*, nec serui essent, comprehendi puto) *comitibus* adiuti, reddebant *principes*: (*h*) quibus ob eam caussam vltro et viritim *armentorum frugumque* aliquid conferret ciuitas, quod *pro honore acceptum* (en antiquissimas ingenuorum collationes, voluntarias illas, postea *die beeden*, dictas!) etiam *necessitatibus* subueniret. (*i*) Si qua autem controuersia grauior exoriretur, de ea in conciliis decerni solebat, in iisque *accusare* et *discrimen capitis intendere* licebat. (*k*) Sacerdotibus aliquam partem in animaduersionibus illis fuisse, nullus, quantum ego quidem sciam, veterum locus, nos vel affirmate dicere, vel suspicari iubet; nisi temere eam ipsis auctoritatem tribuere audeas, quam apud Gallos vel habebant, vel sibi sumebant *Druides*. (*l*) Id solummodo iuris praecipui *in conciliis* obtinuisse legimus, vt commendarent modestiam, vel, si mauis, illud: *fauete linguis*, pronuntiarent. Ait noster, *silentium per sacerdotes, quibus tum* (significanter! ergo non vniuersim, sed

officium apud veteres Germanos a sacerdotibus, apud Romanos a consulibus, apud Russos ab imperatoribus exercebatur.

(*f*) *Elem. Iur. Germ. II*, 18, 6.

(*g*) *de M. G. c. XI.*

(*h*) *Id. d. l. c. XII.*

(*i*) *Id c. XV.* An et pars mulctae? Affirmat Dithmarus ad h. l. laudatque Taciti *c. XII.* qui *Regis* vel *ciuitatis meminit.*

(*k*) *Id. c. XII.*

(*l*) Diserte Caesar *de B. G. VI*, 21. negat, Germanos habuisse Druides. Scilicet *hi peculiarem ordinem* constituebant apud Gallos, illorumque erat de omnibus *controuersiis publicis ac priuatis decernere*, vt reliquas ipsorum philosophias, quibus se a vulgo segregarent, silentio praeteream. Huiusmodi sacerdotes Caesaris aetate ignorabat Germania. Sed haec disputare, nostri instituti non est. Cui lubet rem diligentius cognoscere, adeat *Io. Georg. Frickii comment. de Druidis pag.* 48. *seqq.*

sed lasciuos, loquaces, qui linguam continere nollent) *et coercendi ius est, imperatur.* Rationem instituti inquiramus. *Primo* qui colendi Dei, *secreti illius, quod sola reuerentia videbant,* (m) rationem praeirent, magna in veneratione erant apud veteres. Illi *equorum candidorum, et nullo mortali opere contactorum, sacroque pressorum curru, hinnitus ac fremitus* obseruabant. Illi *virgae, frugiferae arbori decisae, surculos, fortuito super candidam vestem sparsos, terque ab eo, qui sparserat, coelum suspiciente sublatos, secundum impressam ante notam*, verbo, *auspicia, sortes*, religiones interpretari solebant. (n) Apud varios populos fas vni sacerdoti fuit, attingere *vehiculum, veste contectum,* quo *Hertha*, Dea, *bubus feminis* veheretur, *rebusque hominum interueniret*, et ne quid patefacta fraude de reuerentia erga illum Deae conscium deminueretur, *seruos ministrantes lacus hauriebat.* (o) Apud *Naharualos muliebri ornatu Sacerdos in antiquae religionis luco praesidebat.* (p) Forte et *viscum illud*, quo nihil *sacratius*, nihil *ad medendum comitialibus morbis, ad conceptum feminarum adiuuandum, ad vlcera efficacissime sananda, salubrius putaretur, falce aurea de robore* demiserunt. (q) At enim, ais, fuerit sacerdotum summa in rebus sacris auctoritas; quid caussae, cur in rebus ciuilibus, in comitiis, eorum imperiis obtemperari oportuerit? Fuit forte haec, quod *in lucis, prisca formidine sacris*, quibus *templorum loco* vterentur veteres, (r) solerent agi *conuentus,* vnde

(m) *Id. d. l. cap. IX.*

(n) *Id. cap. X.*

(o) *Id. cap. XL.*

(p) *Id. cap. XLIII.*

(q) Locus classicus *de visco* est PLIN. *XVI*, 44. *et XXIV*, 4. *Add.* Keysler *antiq. Celt. p.* 307. vbi formulam *Gutheyl*, nonnullis locis sollemnem explicauit.

(r) Diserte Tacitus *d. l. c. IX. nec cohibere parietibus Deos, neque in vllam humani oris speciem assimilare ex magnitudine coelestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant.* Ne quem sollicitet, *templi* aliquoties apud nostrum mentionem fieri, cum de Germanis agitur. *Templum* enim generatim *quemcunque locum inauguratum, cultuique destinatum diuino* denotare, obseruat *Gutherius de iure pontificio VII*, 3. Ita

vnde et colloquiis iſtic habitis nomen *der Hagespracken* haeſiſſe videtur. (*s*) Iam cum *auctoritate ſuadendi* magis, quam *iubendi poteſtate*, pollerent principes: (*t*) porro ipſa illa proceritas ſyluae, et admiratio vmbrae, fidem Numinis facere putaretur: quis religionis loci potentius moneret, quis, vt audirentur Reges vel Principes, ſua nimium ferocem libertate, eamque armatam compelleret multitudinem, niſi Diuinitatis miniſtri, ſuique ſe muneris inuolventes reuerentia Sacerdotes? Si qui facerent aduerſus illorum edictum, et petulantius intercederent conſultationum auſpiciis, illos ſuo iure *coercebant;* forte ita, vt *ſacris interdicerent*. Haec poena, certe inter Gallos, quoties Druidum decretis non ſtaretur, erat grauiſſima. *Quibus ita eſſet interdictum*, ait CAESAR, (*v*) *ii numero impiorum et ſceleratorum habebantur, iis omnes decedunt, aditum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi acciperent. Neque iis petentibus ius reddebatur, neque honos vllus communicabatur.*

III. Supereſt, vt de pugna, quae inter locum, ad quem commentamur, atque alium I. Caeſaris intercedere videtur, ſimus ſolliciti. Is enim *de Germanis* definite, *cum bellum*, inquit, (*x*) *ciuitas aut illatum defendit, aut infert, magiſtratus, qui ei bello praeſint, vt vitae necis*

---

templo apud Tacitum de M. G. c. 40. ſignificari illum ipſum locum, quem antea *caſtum nemus* dixerat, planum eſt. De templo *Tanfanae*, cuius *Annal. I*, 51. meminit, res vehementer incerta eſt. V. Vir ill. IO. IAC. MASCOV. *Geſchichte der Deutſchen IV*, 2. *not.* 5. De Slauis HELMOLDVS *Chron. Slauor. I*, 83. *alii ſimulacrorum imaginarias formas praetendunt de templis, veluti immenſe idolum, cui nomen Podaga, alii ſyluas vel lucos inhabitant, vt eſt Proue Deus Aldenburg, quibus nullae ſunt effigies expreſſae.*

(*s*) V. KEYSLER *d. l. p.* 77. Cui ſubiicimus nos loca Taciti *de M. G. C.* 30. *et hiſt. IV*, 14. HELMOLDI *d. l.* In primis conferri meretur Excellentiſſimi KÖHLERI, quem honoris cauſſa appellamus, *diſſert. de inclita ſede regali ad Reinſe* §. 18.

(*t*) *Tacitus de M. G. c. XI.*

(*v*) *De B. G. VI*, 13.

(*x*) *De B. G. VI*, 32.

necisque habeant potestatem, *deliguntur.* Mirum est, haec ita conciliare Lipsium, vt Tacito de pace, deque bello sermonem esse Caesari eoniiciat. Nam de bello dicere Tacitum vltro, qui locum ipsum inspexerit, nobis largietur; an *de solo bello?* superius disputauimus. Poterat ad illud confugere aliquis, in rebus Germanorum tantum non esse auctoritatis Caesari, quantum Tacito, vt quem ex eorum, qui post Caesarem in Germania militarunt, commentariis multa plenius et accuratius cognouisse credibile sit. Quam quidem exceptiunculam vt probent illi, qui nihil temere de fide Caesaris detractum cupiant, merito verearis. Forte inter vtrumque conueniet, si ex mente Caesaris delectos fuisse magistratus dixeris, qui, quid commeruissent improbi, ex culpae gradu aestimarent atque definirent; sacerdotibus autem solis fas fuisse, poenas in consilio, cui forsitan et ipsi interfuerunt, definitas *exequi*. Rem ita imaginor. Putabant veteres, pertinere ad communem caussam libertatis, vt *Duces exemplo* potius, *quam imperio*, *si promti*, *si conspicui*, *si ante aciem agerent admiratione*, praeessent: (y) ipsorumque iussu *vinciri*, *verberari*, aut morte puniri paterentur neminem. Sed oportebat esse nihilominus, qui modestiam exercitus, sine qua saluus esse non posset, violentis, quoties necessitas postularet, remediis tuerentur, quibusque resistere inuidiosum et nefas haberetur. Igitur adhibebatur ad eam rem religio, cuius summam et praesentissimam vim in hebetandis et contundendis ferociorum ausibus esse, omnis aeui monumenta testantur. (z) Scilicet sacerdotes, vt quibus minus, quam Ducibus inuideretur, cum in crimina animaduerterent, non ex sua se persona poenas irrogare, nec ducis iussa exequi, sed sacro quodam instinctu commotos, Deo imperante, protendere manus ad corripiendos scelerum et nequitiarum reos conuictosue, salubri et necessaria simulatione prae se ferebant.

IV.

(y) Taciti verba sunt *d. c. VII.*

(z) V. TREVERVS *de impostur. sanctit. tit. factis diss. II*, 3, 2 et B. BIERLINGIVS, cuius memoria non vno nomine cara est Ernestinae, *differt. de superstit. tanquam arcano dominationis adhibita.*

IV. Caeterum non eſt, quod mireris, quid ſit, quod comprehendendis et iugulandis militum nequiſſimis ſacras manus commodauerint ſacerdotes, cum vile exiſtimari ſoleat munus carnificis, cum ſuppliciorum adeo conſpectu clericis interdictum poſteriori aetate fuerit, vt, qui funeſtis illis ſpectaculis, niſi conſolandi vel precum formulas praeeundi cauſſa, intereſſent, *a regula alieni*, et munere ſuo indigni haberentur. (*a*) Sunt enim non diuerſarum modo, ſed earundem quoque gentium illae veluti deliciae; vt de honeſtate et turpitudine nec easdem foueant, nec probatas perpetuo ſeruent opiniones: in quam rem multum eorum, qui praecellunt, auctoritas et imitatio, multum et caſus poteſt. Certe remanſit pluribus a Tacito ſaeculis illa opinio; intereſſe ſalutis publicae, vt, ſi ſacra ſit iuſtitia, ſi illibatus ſuperſit honos ſupplicia decernenti iudici, nihil etiam de eorum exiſtimatione deminuatur, qui, quod ſtatuiſſet iudex, exequerentur. Innuunt id ipſum notae appellationes *des Frohnbotens* (*b*) *Nach* et *Scharffrichters;* tum earum inſtituta ciuitatum euincunt, in quibus conſtitutum fuit, vt *Scabini*, (*c*) vt ciuium (*d*) vel et ſenatorum

(*a*) *C.* 5 *X ne Clerici vel Monachi ſec. Clericis*, ait, *in ſacris ordinibus conſtitutis ex concilio Toletano iudicium ſanguinis agitare non licet.* Porro *c.* 10 *X de exceſſ. praelat. Nos autem*, dicitur, *quia idem Epiſcopus non ſolum in iudicio candentis ferri, verum etiam in furis ſuſpendio grauiter noſcitur deliquiſſe, cum his non tantum auctoritatem praeſtiterit, verum etiam praeſentiam exhibuerit corporalem, ipſum indignum altaris miniſterio reputamus.* Ex illo *horrore ſanguinis*, quem prae ſe ferret eccleſia, exortam eſſe maculam, carnificum muneri adhaereſcentem, coniectura eſt probabilis. Confer HERTIVM *ad Puſend. I. N. et G. VIII*, 4, 6. *n. a.*

(*b*) Gloſſa *ad I. P. S. III*, 55. *I. Sueuic. c.* 36. *Weichb. art.* 8.

(*c*) Meretur hic referri poena in eos, qui in continendis iudicii arcanis pleni rimarum futuri eſſent, conſtituta: *Es ſollen ihn* (loquacem) *der Freygreve vnd die Scheffen angreiffen, vnd verfolgen, vnd binden ihm ſeine Hände zuſammen, vnd ihn auf ſeinen Buck werpen, vnd winden ihm ſeine Tungen zum Nacken hinaus, vnd ſtecken dar einen Pin vor, vnd doin ihm dann einen*

torum maxime iuuenis damnatos capitis interficeret, vel qui matrimonium postremus iniisset, primus collo damnati laqueum iniiceret, reliquis tum ciuibus in auxilium concurrentibus, (e) vel et accusator sua ipsius manu decretam animaduersionem exequeretur. (f) Sed de his disputatum satis. Progrediamur ad alium auctoris locum, diligentiori, ni fallor, meditatione aeque dignum.

Cap. XIII.

Nihil autem, neque publicae neque priuatae rei, ait, nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam ciuitas suffecturum probauerit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque iuuenem ornant. Haec apud illos toga, hic primus iuuentae honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicae. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adolescentulis assignant.

b I. Mi-

Strick an den Hals, vnd hangen ihn an einen Baum, als man sonst einen armen Sünder pfleget zu hencken. V. HEINECC. *E. I. G. t.* 1. *praef. p.* 14. Plura volenti *dabunt LL. Langob. L. II. tit.* 60.

(*d*) V. MVLLER *annal. Saxon. p.* 103.

(*e*) V. de his *Camerar. oper. succis.* I, 76. ex quo hauserunt alii. De Henrico Duce Megapolit. quod ipse securitatis tuendae studio commotus, mortis damnatos iugularet, *suspensore* dicto, V. *Kranzii Vandal.* IX, 8.

(*f*) Facit huc, quod narrat *Dubrav. hist. Bohem.* I, 32. *princ.* iudicatum aliquando fuisse, vt furem *mortis damnatum aut manu sua ex furca suspenderet accusator*, aut, si id facere detrectaret, ipse *a fure suspenderetur*. Add. sententiam apud *Wehner. obs. pract.* voce: *besiebnen*, ex qua sequentia excerpsisse sufficiat: *Da erkannten wir mit gemeinen Vrtheil: Möchte er da beweisen, vnd zu Gott vnd den Heiligen schweren vff ein Schwerd, daß der genannte NN sein vnd des Landes Dieb wäre, vnd denn daß Sechs darnach geschwören möchten mit Wahrheit ihrer Seelen, daß der Eyd wäre rein vnd nicht nein, so möchte er den hencken mit seiner selbst Hand.*

I. Mirum videri debebat Romanis, apud quos inusitatum erat, secum vbiuis arma habere, (g) inter Germanos nihil publicae priuataeque rei *sine armis* agi. Sed is erat genius reipublicae militaris, vt nobilitatis quasi suae esse putarent viri, qui se ipsos *ad arma natos* appellabant, (h) his libertatis et gloriae instrumentis nusquam destitui, quibus vel ad defendendas, vel ad inferendas vltro iniurias opinione citius indigerent; quibus seruitutem imminentem amouere, Romanisque, illis gloriosis superbisque victoribus, votum, rarum sane, extorquere contigisset: *maneat quaeso duretque gentibus, si non amor nostri, certe odium sui, quando vrgentibus imperii fatis nihil iam fortuna praestare maius potest, quam hostium discordiam.* (i) Ita in *concilium* veniebant, (k) ad *negotia*, ad *conuiuia*, (l) procedebant armati. Ita per arma *iurare*, *adoptare*, (m) *manumittere*, (n) armis ad *connubia*, ad *funera* (o) vti solebant. Quin et honestum ac dignum forti viro putabant, vi et armis interire, atq; in praelio, in lecto illo honoris, cadere, quod genus mortis aditum ad *Valhallam* (aulam caesorum) aperire credebant, in qua ludi, genio indulgeri, largissime bibi, constans erat persuasio. (p) Ipse auctor, tanquam rem insolitam et plane singularem obseruauit, quod cum *Hertha Dea Anglos Verinos* etc. *hospitio adventuque*

(g) Romanorum aliarumque gentium, cultiorum, barbararum, eo in genere consuetudines carptim recenset *Vir Summe Reuer.* HEVMANNVS *in hist. gladii acad.* inserta *primitiis Goettingensibus p.* 12. *seq.*

(h) *Tencteri* apud Tacitum *hist. IV,* 64. Seneca *de ira I,* 11. *Germanis*, ait, *quid est animosius? quid ad incursum acrius? armorum cupidius? quibus innascuntur, innutriunturque, quorum vnica illis cura est, in alia negligentibus.*

(i) Tacitus *de M.G. cap. XXXIII.*

(k) Id. *d. l. c. VI.*

(l) *d. l. c. XXII.*

(m) V. Hertium *notit. vet. Germ. popul. I,* 3, 15.

(n) *de Langobardis v. Paul. Diac. I,* 13. *C. tamen LL. Langob. II,* 35.

(o) Tacitus *d. l.* 18. *et* 27.

(p) Cf. Keysler *antiq. Celt. p.* 127. VAL. MAX. *II,* 6.

ventuque suo dignaretur, *arma non sumerent:* (q) et apud *Suiones* non *arma, vt apud caeteros Germanos in promiscuo, sed sub custode, et quidem seruo*, essent, *quia subitos hostium incursus prohiberet oceanus, otiosae porro armatorum manus facile lascivirent.*

II. Delectari et exerceri armis a prima fere aetatula solebat iuventus; (r) vt quae spiritum illum bellicum cum lacte matris adeo fortis vtplurimum, nec pericula defugientis, hauriret. Verum *sumere arma*, i. e. *ad iura*, quae cum militia in bello, in iudiciis, in conciliis coniuncta essent, omnia adspirare fas erat nemini, nisi quem *suffecturum*, dignumque illis ob aetatem et mores, iudicasset ciuitas. Quod de *nobilibus* et *ingenuis* peraeque intelligo, quia non distinguitur, quamquam de postremis interpretari malit HEINECCIVS. (s) Sumebantur arma rite, et ea quidem ratione, vt vel principum aliquis, vel pater, vel hoc deficiente propinquus iuuenem *scuto frameaque* (t) ornaret. Affinis his est sequentis aeui obseruatio. Etenim et adolescentes *nobiles*, (nobilium nomen hic eo sensu accipio, quem saeculo adhuc XIV. illi subiectum fuisse, verissime docuit *Perill.* KOPPIVS, (v) nempe vt nobilitatis, quam vocant, superioris et eminentis personas indicet) igitur nobiles adeo ante hanc talem inaugurationem publicam, et sumtuosam vtplurimum, (x) non *milites*, *sed pueri infra militares annos*, *im-*

(q) Tacitus *d. l. c.* 40. *ac* 44.
(r) *Id. d. l. c.* 24. et 32.
(s) *Elem. Iur. Germ. I*, 7, 163.
(t) De telo illo, quod *missile* fuisse, ideoque nomen a voce, frumen, mittere, quae est Wachteriana suspicio, accepisse non videtur, plura disputat *Strauch dissert. ad Tacit. II*, 2, 4.
(v) *De insigni differ. inter S. R. I. Comites et nobil. immed. S. III.* §. *II. pag.* 228.
(x) Non piget hic meminisse celebritatis illius, in qua pingenda multus est *Arnoldus Lubecensis chron. Slav. III*, 9. Edixit, vt ille ait, Fridericus Imp. *curiam famosissimam apud Maguntiam* celebratam anno 1182. vt *filium suum Henricum Regem militem*, et *gladium militiae super femur eius potentissimum accingeret. Quid de abundantia, imo de su-*

impuberes, *necdum militaribus annis maturi*, quin et *armigeri* (y) dicebantur; vt quod ad illos actus *sumendi cingulum* militare vim sollemnis declarationis habuisse videatur, eum, cui nascendi sors locum inter *nobiles* dedisset, vsumque illius *ad tempus intercepisset impubis aetas*, iurium omnium, quibus expleta pubertate demum frui mos esset, vel quibus alioqui ingenuorum conditioni praestaret nobilitas, *reapse* participem futurum.

III. Sed redeamus ad nostrum. Cui cum consilium esset, per totum illum de M. G. libellum, suorum ciuium et *barbarorum* (sic enim vocat maiores nostros) conferre mores; et hoc loco ritum *sumendae togae* cum sollemni illa armorum traditione comparat. Ait enim: *haec apud illos toga, hic primus iuuentae honos, ante hoc pars domus, mox reipublicae.* Mos erat apud Romanos, vt anno aetatis XV. (non XVII, vt Manutius, Nieupoörtius, aliique suspicantur, nisi iusta ratio suaderet, tempus illud proferrri, quod tamen rarius accidisse, credibile est,) (z) vt, inquam, ingressi annum XV. *togam praetextam* deponerent, bullasque, *haemisphaericas* illas, *aureas* aut *scorteas*, quas de collo pendulas gessissent, suspenderent *Laribus:* qui actus sumendae *togae purae*, *Liberae*, *virilis*, vel et dies, quo id fieret, *tyrocinium* dicebatur. (a) Is quidem erat primus iuuentae honos, et iam publice constabat, qui sic sollemniter in *forum deducti essent*, *forumque attigissent*, tirones, partem non domus tantum esse, sed et reipublicae existere. (b) Similiter apud Germanos, qui publice

---

pereffluentia vectigalium dixerim, quae illic de omnibus terris congesta erat, quae sicut erat inaestimabilis, ita cuique linguarum manet inedicibilis. Illic copia vini, quae per descensum, similiter per ascensum Rheni aduecta fuerat, sicut in conuiuio Asueri, sine mensura pro vniuscuiusque possibilitate vel voluntate hauriebatur etc.

(y) Cf. ill. ESTOR *de minister.* §. 349. *p.* 501.

(z) Confirmat hanc coniecturam grauissima auctoritate sua Celeb. GESNERVS *ad Plin. II*, 14. Vide etiam, si lubet, *Gronov. ad Tacit. annal. XII*, 41.

(a) *V. Sueton. Aug.* 26. *et Tiber.* 54.

(b) Tacitus *annal. XII*, 41. *virilis toga Neroni maturata, quo ca-*

publice armis cincti essent iuuenes, ex sua persona interesse conciliis, et, quos olim in castris remanere oporteret, (c) iam in acie, in praelio, locum obtinere, atque ad honorem Ducis, aut Principis adeo, sibi aditum virtute et prudentia parare incipiebant. Ante hoc *domus* duntaxat *pars* erant. Quid ita? Sui ipsius interpres est auctor. (d) *Dominum*, inquit, *et seruum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos*, (i. e. *faciat, vt separentur*) (e) *virtus agnoscat*. De Gallis Caesar: *Suos liberos nisi cum adoleuerint, vt munus militiae sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur, filiumque in puerili aetate in publico in conspectu patris assistere, turpe ducunt.* (f) Caeterum qui tirocinio posito in *puberum* numero haberi inciperent, inque militiam adsciscerentur, patria tutorisue potestate solutos, suique iuris factos fuisse, idque accidisse ab anno aetatis XVIII ad XXI, ex hoc loco constare affirmant Hertius, Dithmarus, (g) alii.

V. Quae sequuntur verba cum noua, adque systema suum accommodata, ratione interpretatus sit Cl. METTINGIVS, qui non ita pridem in eruendo veteris Germanorum militiae statu diligenter versatus est; (h) meretur res hic tractari paulo plenius. Nempe opinatur vir doctus, qui alioqui a primis, quorum memoria extat, Germaniae temporibus, insignia illa nobilium iura, et potestatem fere summam, atque Regiae supparem, repetit, nihil apud *Tacitum* et *Caesarem* inter appellationem *principis* et *nobilis*, interesse, (i) qui etiam verbis *potentum*, *locupletiorum*, passim indicentur. Ita, vt hoc vtar, illustrem illum locum nostri: *dotem non vxor marito, sed ma-*

pessendae reipublicae habilis videretur. Loca Tertulliani v. apud Lipsium *in notis* ad h. l.

(c) V. *Conrad. Vrsperg. ad a.* 1079.

(d) *De M. G. c.* 20.

(e) V. de hac locutione disputationem *Gronov. obs. I*, 4.

(f) *De B. G. VI*, 17.

(g) HERTIVS *notit. vet. Germ. pop. I*, 3, 3. DITHMARVS *ad h. l.* qui reliquos laudat.

(h) in tract. *de militia Germanorum veteri et hodierna.*

(i) *d. l.* §. 2. *not. g.*

maritus vxori offert: ideo de *nobilibus tantummodo* intelligendum esse suspicatur, (*k*) quod inter *munera*, quorum in verbis proxime conse-

(*k*) *Sect. I, 7. not. f.* Quoniam ad eum locum ventum est, paucis hanc rem dispiciamus. *Primo* vt *asseri* possit, *scutum frameamque arma* tantum *equestria* fuisse, vereor. Ait Tacitus eo loco, quem ipse laudat, nempe, *c. VI, Et eques quidem scuto frameaque contentus est. Pedites et* (praeter vsum scuti frameaeque) *missilia spargunt. Deinde* refert noster *c. XI.* si placuisset ducis aut principis sententia, *frameas concussas* fuisse. Ergo et plebs habuit *frameas*, quam conciliis interfuisse indubium. Frustra sumitur, equestrem militiam compositam fuisse solis *nobilibus*. Catti *pedestri acie contenti* fuerunt; ideone nullam aut rarissimam inter ipsos eminuisse nobilitatem, fas est credere? Excipies, habuisse *equites*, quia *victis Cattis viros equosque occidioni dedisse* leguntur *Hermunduri annal. XIII,* 17. Respondeo, habuerunt equos nonnullos in belli ministeria, caruerunt equitatu. *A. de M. G. c.* 30. Accedit, *comites* illos, *principum* lateri adhaerentes, quos memorat Tacitus, fuisse ex ipsius Cl. Mettingii sententia *sect.* 1. §. 8. *p.* 41. *ministeriales*, et *inferioris ordinis* milites; et hi tamen *framea et equo* vtebantur. Ait noster *c. XIV. Exigunt principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam.* Alii sub *equitum* appellatione comprehendi censent *ingenuos. V. Thomasius de homin. propriis* §. 63. Denique verba illa *in haec munera* et *quae sequuntur*, ad doctrinam *de dote* non pertinent; sed potius *ritum nuptiarum*, *symbola*, quibus connubialem consensum declarare sollemne esset, complectuntur. V. ill. GEBAVERI, cuius egregiis obseruationibus, subinde editis, multum lucis accepit Taciti Germania, *program. ad h. l. Goettingae typis exscriptum.* Igitur, quod *in dissertat. de successione inter coniuges* nos tradere meminimus, hic confirmare non veremur, *dotem* illam, seu *dotalitium* vetus, et *ingenuis* et *nobilibus* ex Taciti sententia, et sequentis aeui obseruatione, communem fuisse.

consequentibus fiat mentio, referantur *frenatus equus*, *scutum, frameaque*, quae primo ob eam caussam *ad ingenuos* quadrare negat, quia sic equitatus Germanorum non potuerit non fieri numerosissimus, cum tamen apud ipsos *in pedite plus roboris* fuisse constet, deinde quod arma, quorum ibi recensus instituatur, sint *equestria*, talibus autem vti fas fuerit nemini, nisi *nobili*. Sed reuertamur in viam. Igitur locum, in quo illustrando versamur, sic intellexisse videtur Cl. Mettingius: *Insignis* (nempe Regia,) *nobilitas*, et *magna patrum* (nobilium) *merita, principis dignationem* (honorem, reuerentiam, vt inter reliquos iuuenes nobiles antiquiorem locum obtinerent) *etiam adolescentulis* (iis, qui, vt ipse ait, *armis nondum declarati essent sufficientes*) *assignant*. (*l*) Verum primo *principis et nobilis* appellationem permiscendam non videri, solide, vti solet, asseruit Perill. STRVBIVS. (*m*) Deinde plenior est *dignationis* significatio, quam vt *externo* tantum honore concludatur. Omnem hic, qua electi principes pollerent, *potestatem* complectitur, quod ex iis patet, quae proxime sequuntur. *Ceteris*, (malunt alii *ceteri*, sed non est, cur mutes, cum facilem planumque sensum habeat vulgaris lectio) *ceteris*, ait, *robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur*, seu, non minoribus iuribus, quam senes reliqui, fruuntur, praeter reuerentiam, et persuadendi vim, quae ex aetate ipsis accederet. Deinde *per adolescentulos* non intelligendi erant armis gerendis propter tenellam aetatem inhabiles. Adolescentis generale nomen est, sub quo veniunt omnes, in quibus adhuc crescit mentis corporisue robur. Ita *Brutum* et *Cassium* cum praeturam agerent, id est XL. annos nati essent, *adolescentes* vocat Cicero. Caesarem, cum pontificatum consecutus esset, quod ante XXXVI. annum fieri non solebat, *adolescentulum* dicit Salustius. (*n*) Ipse auctor plerosque *nobilium adolescentium* ad finitimas gentes, quae bellum gererent, se conferre tradit, ne longa pace torperent; (*o*) quos sane armis ante

(*l*) *d. l.* §. 3. *not. c. et* §. 9. *not. c. sect.* 1.

(*m*) In *amoenissimis horis succisivis part. II. pag.* 427. *seqq.*

(*n*) Haec talia collegit Manutius *comment. epist. Cicer. ad diuers. II*, 1, *p. m.* 107.

(*o*) *De M. G. c. XV.*

ante cinctos fuiſſe oportuit. Igitur locum illum ego ſic reddiderim: cui patre inſigniter nobili, vel etiam ingenuo, bene merito, naſci contigiſſet, illi adhuc adoleſcenti, *in noch iungen Iahren*, ſeu nondum ſeni, principales honores collatos fuiſſe, quibus alias *pridem probati* et *demum caneſcentes* ornari ſolerent.

Porro eſt in CAP. XV. aliquid, quod ſollicitare poſſit antiquitatis curioſum. Verba ſunt haec:

Quoties bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium tranſigunt, dediti ſomno ciboque.

Secum hic et cum Caeſare pugnare videtur auctor. Ipſe enim Germanos *ferarum pelles* geſſiſſe, (*p*) earumque *venatu* viros *pariter* ac *feminas* apud *Fennos* alitos fuiſſe, (*q*) teſtatur. Porro definite Caeſar: *vita Germanorum omnis in venationibus et ſtudiis rei militaris conſiſtit.* (*r*) Quam controuerſiam vt componant; negationem ex verbis Taciti eiiciunt Lipſius, Conringius, Hertius, quam male geminatam, et petitam e prioribus verbis, opinantur, leguntque demto *non*: *multum venatibus, plus per otium tranſigunt.* Habent tamen negationem illam manuſcripti, nec eſt refugiendum ad emendationes id genus violentas, niſi ſit, quod vehementer vrgeat. Nouam et ad hunc locum ſuſpicionem profert, quem ſuperius laudauimus, Mettingius; et Tacitum de *inferiori ciuium ordine*, (*der Gemeinde*) Caeſarem autem de *nobilibus*, loqui coniicit: nobiles enim diſtribuendis inter ſe plebemque praediis, per vniuerſitatem occupatis, quaedam ſibi recepiſſe, quae communiter poſſiderent, interque ea ſibi ſolis reſeruaſſe *venationem*, ab illiusque vſu excluſiſſe ingenuos. (*s*) Sed quanquam ſecundum *dignationem*, vel vt alii ad ſenſum Caeſaris magis accommodate malunt, *cognationem*, diſtribui ſolere agros referat Tacitus: (*t*) vena-

(*p*) *Cap. XVII.*
(*q*) *Cap. XXXXVI.*
(*r*) *De B. G. VI, 21.*
(*s*) *d. l. ſect. I. §. 4. not. d. et §. 10. not. b.*
(*t*) *De M. G. c. 26.*

venationis tamen vel communicatae vel reſeruatae ne verbulo quidem iniicitur mentio. Et ſane ſequentibus ſeculis illam inter iura principum praeſtabiliora relatam non fuiſſe, in celebri illa controuerſia *de regali venationum iure* ſatis, niſi fallor, aſſertum traditumque eſt. (*v*)

II. At, ais, reiectis aliorum interpretationibus quid tandem fiet de loco illo, de pugna Caeſaris et Taciti vera an opinata? Equidem ſic puto; potuiſſe dici a Caeſare, ſalua Taciti fide, vitam Germanorum, nempe negotioſam illam, quae conuiuiorum ac reliquarum voluptatum otio opponitur, in *venatione* aut *armorum exercitiis* occupari, ſeu quoties laborandi lubido incederet Germanis, vel venatum abire, vel armis tractandis ſe exercere. Sed potuit ex vero addere Tacitus, raro laborare, raro negotioſos eſſe. Nam rem familiarem et agriculturam non curabant ipſi; *domus et agrorum cura delegata erat ſenibus feminisque*, et tum demum, cum in *alimenta feras capere*, vel et vehementiori commotione corpus agilius et ſalubrius reddere luberet, venati fuiſſe videntur. Forte etiam ad laborem, ad exercitationes illas bellicas, proniores fuere, qui Caeſari innotuere, populi, quam reliqui Germaniam magnam inhabitantes. Hos ſi *ſomnum in diem extraxiſſe*, (*x*) ſi *conuiuiis, commiſſationibus, accipiendis comitandisque hoſpitibus*, nullis cibariis legibus retentos, effuſius indulſiſſe, ac *diem noctemque continuaſſe potando*, ponas, et ea in ſummam colligas omnia; conſtabit ratio, in pace non multum venatibus tranſegiſſe, comparate ad illud tempus, quod darent ventri, quod ignobili otio, *dediti ſomno ciboque*, conſumerent.

Plura diſputare in praeſens non licet tempore excluſis. Igitur ſupereſt, vt ad illud accedamus, cuius cauſſa hoc quicquid eſt ſcriptiunculae praemiſimus; et

(*v*) Scriptorum illorum recenſum vide *in bibl. iurid. Struv. quam auctiorem edidit ill.* BVDERVS *p. 237. ſeq.*

(*x*) V. Tacitus *d. l. c. XXII.*

et orationem indicemus eam, qua professionis philosophiae moralis auspicia, bona, vt spero, et fausta sollemniter ac rite capturi, *de argumentis, quibus esse legem naturae euincitur*, differemus. Est ei rei dicta

XXIV. Iul. hora X. ante meridiana.

Qua vt PROCERES ACADEMIAE CELEBERRIMI GENEROSISSIMI AC PRAENOBILISSIMI HVIVS LITTERARVM VNIVERSITATIS CIVES NEC NON HOSPITES QVIBVS HAE TABELLAE OFFERENTVR QVIQVE ALIOQVIN STVDIIS NOSTRIS BENE CVPIVNT PRO SVO QVISQVE LOCO HONORATISSIMI, *in auditorio maiori* frequentes conuenire, nobisque lubentes et propitii adesse velint, enixe summaque obseruantia rogamus.

D. Rintelii a. d. XX. Iul. cIↃIↃccXXXXVII.

